



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De raptu. Quæstio 175.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

516 QVÆST. CLXXV. ART. I.
*lib. 5. c. 26. non refert 5. de Ciuit. Dei, quod Theodosius Augustus
 procul a ad Ioannem in Aegypti eremo constitutum, quem
 prin. 10. 5 prophetandi spiritu præditum fama crebescente di-*
 dicerat, misit: & ab eo nuntium victoria certissi-
 mum accepit.

QVÆST. CLXXV.
 De Raptu, in sex articulos diuisa.

- D** E inde considerandum est de raptu.
 ¶ Et circa hoc quærentur sex.
 ¶ Primo, vtrum anima hominis rapiatur ad diuinam?
 ¶ Secundo, vtrum raptus pertineat ad vim cognoscitiuam, vel ad appetitiuam?
 ¶ Tertio, vtrum Paulus in raptu viderit Deum?
 ¶ Quarto, vtrum fuerit alienatus à sensibus?
 ¶ Quinto, vtrum fuerit totaliter anima à corpore separata in statu illo?
 ¶ Sexto, quid circa hoc sciuerit, & quid ignorauerit.

ARTIC. I.

834
Ver 9. 13
a. 1. et a.
2. et 9.
Et 2. Cor.
12. co. 4.
lit. c. 1.
ante me.
tom. 1.
c. 8. a me
dio illi.
¶ c. 9. no
procul a
sua.

Vtrum anima hominis rapiatur ad diuinam? Ad primum sic proceditur. Videtur, quod anima hominis non rapiatur ad diuinam. Diffinitur enim à quibusdam raptus, ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam, vi superioris eleuatio. Est autem secundum naturam hominis ad diuinam eleuatio. Dicit enim * Augustinus in principio confess. Fecisti nos Domine, ad te, & in te est cor nostrum, donec requiescat in te. Non ergo anima hominis rapiatur ad diuinam.
 ¶ Præterea, Dionysius dicit * 8 cap. de diuinis nominibus quod iustitia Dei in hoc attenditur, quod iustis rebus distribuit secundum suum modum & dignitatem. Sed quod aliquis eleuetur supra id quod est secundum naturam, non pertinet ad modum hominis, vel dignitatem. Ergo videtur quod non rapiatur mens hominis à Deo in diuinam.

¶ 3. Pre-

¶ 3 Præterea, Raptus quamdam violentiam importat. Sed Deus non regit nos per violentiam, & coactè, vt Damasc. dicit *. Non ergo mens hominis rapitur ad diuina.

li. 2 c. 30
cir prim.

SED contra est, quod 2. ad Cor. 12. dicit Apost. Scio hominem in Christo raptum vsque ad tertium celum. Vbi dicit Glos. * raptum, id est, contra naturam eleuatum.

gl. or. ib.

RESPONDEO dicendum, quod raptus violentiam quamdam importat, vt dictum est *. Violentum autem dicitur cuius principium est extra, nil conferente eo quod vim patitur, vt dicitur in 3. Ethicor. ¶ Conferret autem vnumquodque ad id in quod tendit secundum propriam inclinationem vel voluntariam,

arg. 3. huius
ius ar.
li. 3. c. 1.
cir. med.
som. 5.

vel naturalem. Et ideo oportet quod ille qui rapitur ab aliquo exteriori, rapiatur in aliquid quod est directum ab eo in quod eius inclinatio tendit. Quæ quidem diuersitas attenditur dupliciter. Vno quidem modo, quantum ad finem inclinationis: puta, si lapis qui naturaliter inclinatur ad hoc quod feratur deorsum, proijciatur sursum. Alio modo, quantum ad modum tendendi: puta si lapis velocius proijciatur deorsum, quam sit motus eius naturalis. Sic igitur & anima hominis dicitur rapi in id quod est præter naturam. Vno modo, quantum ad terminum raptus, puta quando rapitur ad pœnas: secundum illud Psalmi 49. Ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Alio modo, quantum ad modum homini connaturalis, qui est vt per sensibilia intelligat veritatem. Et ideo quando abstrahitur à sensibilibus apprehensione, dicitur rapi, etiam si eleuetur ad ea ad quæ naturaliter ordinatur: dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, sicut accidit in somno qui est secundum naturam. Vnde non potest proprie raptus dici. Huiusmodi autem abstractio ad quæcūque fiat, potest triplici causa contingere. Vno modo ex causa corporali: sicut accidit in his qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Secundo mo-

do, ex virtute dæmonum : sicut patet in arreptiis.
Tertio modo, ex virtute diuina. Et sic loquitur
nunc de raptu, prout scilicet aliquis spiritu diuino
eleuatur ad aliqua supernaturalia cum abstractione à
sensibus : secundum illud Ezechiel. 8. Spiritus eleua-
uit me inter cælum & terram, & adduxit me in
Hierusalem in visione Dei. Sciendum tamen quod
rapi quandoque dicitur aliquis non solum propter
alienationem à sensibus, sed etiam propter abstrac-
tionem ab his quibus intendebat : sicut cum dicitur
patitur euagationem mentis præter propositum, hoc
hoc non ita propriè dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod naturalis
est homini, vt in diuina tendat per sensibilia
prehensionem : secundum illud Rom. 1. Inuidentia
Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.
Sed iste modus, quod aliquis eleuetur ad diuina
abstractione à sensibus, non est homini naturalis.

Ad secundum dicendum, quod ad modum
cognitionem hominis pertinet, quod ad diuina eleuetur
ex hoc ipso, quod homo factus est ad imaginem
Dei. Et quia bonum diuinum in infinitum excedit
humanam facultatem, indiget homo vt superueniat
liter ad illud bonum capiendum adiuuetur
fit per quodcumque beneficium gratiæ. Vnde
sic eleuetur mens à Deo per raptum, non est
naturam, sed supra facultatem naturæ.

Ad tertium dicendum, quod verbum dicitur
est intelligendum quantum ad ea quæ sunt pro
minem facienda. Quantum verò ad ea quæ
dunt liberi arbitrij facultatem, necesse est quod
mo quadam fortiori operatione eleuetur. Quod
dem quantum ad aliquid potest dici coactum
licet attendatur modus operationis : non attendatur
tendatur terminus operationis, in quem raptus ho-
minis & eius intentio ordinatur.

*Utrum raptus magis pertineat ad vim cognosciti-
uam, quam ad vim appetitiuam?*

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod ra-
ptus magis pertineat ad vim appetitiuam, quam
ad vim cognoscitiuam. Dicit enim Dionys. 4. cap. de
Diuin. nom. * Est autem ecstasim faciens diuinus a-
mor. Sed amor pertinet ad vim appetitiuam. Ergo &
ecstasis siue raptus.

*c. 4 de di
ui no p.
1. non re
motè an-
te fr.
li. 2. c. 2.
cir. med.*

¶ 2 Præterea, Gregor. dicit in 2. Dialog. quod
ille qui porcos paut, vagatione mentis & immunditiæ
sub semetipso cecidit: Petrus verò, quem angelus sol-
uit, eiusq; mentem in ecstasi rapuit, non extra se
quidem, sed supra semetipsum fuit. Sed ille filius pro-
digis per affectum in inferiora dilapsus est. Ergo
etiam & illi qui rapiuntur in superiora, per affectum
hoc patiuntur.

¶ 3 Præterea, Super illud Psal. 30. In te Domine
speraui, non confundar in æternum, dicit glos. * in ex-
positione tituli, Ecstasis Græcè, Latine dicitur exces-
sus mentis: quæ fit duobus modis, vel pauore terre-
norum, vel mente rapta ad superna & inferiorum ob-
iura. Sed pavor terrenorum ad affectum pertinet. Er-
go etiam raptus mentis ad superna, qui ex opposito
ponitur, pertinet ad affectum.

*Est gl. or.
ex Aug.
Psal. 30. in
prin. illi⁹
som 8.*

SE D contra est, quod super illud Psal. 115. Ego
dixi in excessu meo, omnis homo mendax, dicit glos. *
Dicitur hic ecstasis, cum mens non pauore alienatur,
sed aliqua inspiratione reuelationis sursum assumitur.
Sed reuelatio pertinet ad vim intellectiuam. Ergo
ecstasis siue raptus.

Ibid.

RE S P O N D E O dicendum, quod de raptu du-
pliciter loqui possumus. Vno modo quantum ad id in
quod aliquis rapitur. Et sic proprie loquendo, rap-
tus non potest pertinere ad vim appetitiuam, sed so-
lum ad cognoscitiuam. Dicitur est * enim, quod rap-
tus est præter propriam inclinationem eius quod rap-
tur. Ipse autem motus appetitiuæ virtutis est quæ-
dam

ar. præc.

dam inclinatio ad bonum appetibile. Unde proprie loquendo, ex hoc quod homo appetit aliquid, non rapitur, sed per se mouetur. Alio modo potest considerari raptus quantum ad suam causam: & sic potest habere causam ex parte appetitiue virtutis. Ex hoc enim ipso quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere, quod ex violentia affectus homo ab omnibus alijs alienetur. Habet etiam effectum in appetitiua virtute, cum scilicet aliquis delectatur in his ad quæ rapitur. Unde & Apostolus dixit se raptum non solum ad tertium cælum, quod pertinet ad contemplationem intellectus: sed etiam in paradysum, quod pertinet ad affectum.

Ad primum ergo dicendum, quod raptus additur quid supra ecstasim. Nam ecstasis importat simpliciter excessum à seipso, secundum quem scilicet aliquid extra suam ordinationem ponitur. Sed raptus supra hoc addit violentiam quamdam. Potest igitur ecstasis ad vim appetitiuam pertinere: pura cum alius appetitus tendit in ea quæ extra ipsum sunt. Et secundum hoc Dionysius dicit*, quod diuinus amor facit ecstasim, in quantum scilicet facit appetitum hominis tendere in res amatas. Unde postea subdit*, quod etiam ipse Deus, qui est omnium causa, per abundantiam amatoriæ bonitatis extra seipsum fit per dependentiam ad omnia existentia. Quamuis etiam preesse hoc diceretur de raptu, non designaretur quod amor esset causa raptus.

Ad secundum dicendum, quod in homine est duplex appetitus, scilicet intellectiuis, qui dicitur voluntas; & sensitius, qui dicitur sensualitas. Est autem proprium homini, ut appetitus inferior subiectus appetitui superiori: & superior moueat inferiorem. Dupliciter ergo homo secundum appetitum potest fieri extra seipsum. Vno modo, quando appetitus intellectiuis totaliter in diuina tendit, prætermissis his in quæ inclinatur appetitus sensitius. Et sic Dionysius dicit* in 4. de Diuin. nom. quod Paulus ex virtute illius

*Loco cit.
in arg.*

Eod. loco.

cit. s. c. 4.

ni amoris ecstasim faciente, dicit, Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Christus. Alio modo, quando prætermisso appetitu superiori, homo totaliter fertur in ea quæ pertinent ad appetitum inferiorem: & sic ille qui porcos paue, sub semetipso cecidit. Et iste excessus, vel ecstasis, plus appropinquat ad rationem raptus, quam primus: quia scilicet appetitus superior est magis homini proprius. Vnde quando homo ex violentia appetitus inferioris abstrahitur à motu appetitus superioris, magis abstrahitur ab eo quod est sibi proprium. Quia tamen non est ibi violentia, eo quod voluntas potest resistere passioni, deficit à vera ratione raptus, nisi fortè tam vehemens passio sit, quod vium rationis totaliter tollat: sicut contingit in his qui propter vehementiam iræ, vel amoris insanunt. Considerandum tamen quodd vterque excessus secundum appetitum existens, potest causare excessum cognoscitiuæ virtutis, vel quia mens ad quædam intelligibilia rapiatur alienata à sensibus, vel quia rapiatur ad aliquam imaginariam visionem, seu phantasticam apparitionem.

Ad tertium dicendum, quod sicut amor est motus appetitus respectu boni, ita timor est motus appetitus respectu mali. Vnde eadem ratione ex vtroque potest causari excessus mentis: præsertim cum timor ex amore causetur, sicut Augustinus dicit 14. * de Civitate Dei.

c. 7. c. 8.
10. 5.

ARTIC. III.

Utrum Paulus in raptu viderit Dei essentiam?

836

De tertium sic proceditur. Videtur, quod Paulus in raptu non viderit Dei essentiam. Sicut enim de Paulo legitur, quod est raptus vsque ad tertium cælum: ita & de Petro legitur Act. 10. quod cecidit super eum mentis excessus. Sed Petrus in suo excessu non vidit Dei essentiam, sed quamdam imaginariam visionem. Ergo videtur, quod nec Paulus Dei essentiam viderit.

Veri. 9.
10. 2. 11.
cor. et ad
1. Et 9.
17. ar. 2.
Et 2. Co-
rint. 12.
16. 2. 60. 4

¶ 2 Præterea, Visio Dei facit hominem beatum, Sed

Sed Paulus in illo raptu non fuit beatus : alioquin numquam ad vitæ huius miseriam rediisset , sed corpus eius fuisset per redundantiam ab anima glorificatum , sicut erit in sanctis post resurrectionem : quod patet esse falsum . Ergo Paulus in suo raptu non vidit Dei essentiam .

¶ 3 Præterea , Fides , & spes esse non possunt simul cum visione diuinæ essentia , vt habetur 1. ad Corint. 13. Sed Paulus in statu illo habuit fidem , & spem . Ergo non vidit Dei essentiam .

e. 6. 7. &
se 99 s. 3.

¶ 4 Præterea , Sicut * August. dicit 12. super Genes. ad literam , secundum visionem imaginariam quædam similitudines corporum videntur . Sed Paulus in raptu dicitur quasdam similitudines vidisse : prout tertij cæli , & paradisi , vt habetur secundo ad Corinthios duodecimo . Ergo videtur esse raptus ad imaginariam visionem magis , quàm ad visionem diuinæ essentia .

Epi. 112.
c. 13 s. 2.

SED contra est , quod Aug. * determinat in libro de Videndo Deum , ad Paulinam , quod ipsa Dei substantia à quibusdam videri potuit in hac vita potius , sicut à Moyse , & Paulo , qui raptus audiuit ineffabilia verba , quæ non licet homini loqui .

2i. 12. ca.
13. & 28
10. 3. Et
Epif. 112.
c. 13. 10. 2
† gl. ord
sbi d.

RESPONDEO dicendum , quod quidamixerunt Paulum in raptu non vidisse ipsam Dei essentiam , sed quendam refulgentiam claritatis ipsius , contrarium manifestè * August. determinat in libro de Videndo Deum , sed etiam 11. super Genes. ad literam , & habetur in gloss. ¶ 2. ad Corinthios 12. Et hoc etiam ipsa verba Apostoli designant : quod enim se audisse ineffabilia verba , quæ non licet homini loqui . Huiusmodi autem videntur ea quæ pertinent ad visionem beatorum , quæ excedit statum videntium , secundum illud Isa. 64. Oculus non vidit Deus autem te , quæ preparasti diligentibus te . Et ideo consuetius dicitur , quod Deum per essentiam vidit .

Ad primum ergo dicendum , quod mens humana diuinitus rapitur ad contemplandam veritatem diuinam .

diuinam, tripliciter. Vno modo, vt contempletur
eam per similitudines quasdam imaginarias. Et talis
fuit excessus mentis, qui cecidit supra Petrum. Alio
modo, vt contempletur veritatem diuinam per intel-
ligibiles effectus: sicut fuit excessus Dauid, dicentis, *Ps. 115.*
Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax. Ter-
tio modo, vt contempletur eam in sua essentia. Et
talis fuit raptus Pauli, & etiam Moyfi. Et satis con-
gruenter. Nam sicut Moyfes fuit primus doctor
Iudæorum, ita Paulus fuit primus doctor Gen-
tium.

Ad secundum dicendum, quod diuina essentia
videri ab intellectu creato non potest, nisi per lu-
men gloriæ: de quo dicitur in *Psal. 35.* In lumine
tuo videbimus lumen. Quod tamen dupliciter parti-
cipari potest. Vno modo, per modum formæ immā-
nentis. Et sic beatos facit sanctos in patria. Alio mo-
do, per modum cuiusdam passionis transeuntis: si-
cut dictum * est de lumine prophetiæ. Et hoc modo *q. 171. a.*
lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit. Et ideo *2.*
ex tali visione non fuit simpliciter beatus, vt fieret
redundantia ad corpus, sed solum secundum quid.
Et ideo talis raptus aliquo modo ad prophetiam
pertinet.

Ad tertium dicendum, quod quia Paulus in ra-
ptu non fuit beatus habitualiter, sed solum habuit
actum beatorum: consequens est vt simul tunc in eo
non fuerit actus fidei: fuit tamen simul tunc in eo
fidei habitus.

Ad quartum dicendum, quod nomine tertij cæli
potest vno modo intelligi aliquid corporeum. Et sic
tertium cælum dicitur cælum empyreum, quod di-
citur tertium respectu cæli æerei, & cæli syderei: vel
potius respectu cæli syderei, & respectu cæli aquei,
sive crystallini. Et dicitur raptus ad tertium cælum,
non quia raptus sit ad videndum similitudinem ali-
cuius rei corporeæ, sed propter hoc quod locus il-
le est contemplationis Beatorum. Vnde * Glossa *glo. ord.*
dicit *ibid.*

dicit 2. ad Corinth 12. quod cælum tertium est spirituale cælum, ubi angeli & sanctæ animæ fruuntur Dei contemplatione. Ad quod cum dicit se raptum, significat quod Deus ostendit ei vitam, in qua videndus est in æternum. * Alio modo per tertium cælum potest intelligi aliqua visio supermundana, quæ potest dici tertium cælum triplici ratione. Vno modo, secundum ordinem potentiarum cognoscitivarum. Ut primum cælum dicatur visio supermundana corporalis, quæ fit per sensum: sicut visa est manus scribentis in pariete Daniel 5. Secundum autem cælum fit visio imaginaria, puta quam vidit Isaias, & Ioannes in Apocalypsi.

Ex gl or.
ibid. ex
Aug.

lib. 12. c.
28. to. 3.

ibi innui
tur i gl.
ordin ex
Dionysio
Areop.

337

l. 9. 12. a.

11. cor. Et

veri. 9. 10

a. 11. co.

et 9. 13.

ar. 3. cor.

et ad 4.

et ar. 4.

cor. Et

quoli. 1.

11. 1. cor.

Et 2. co.

12. 10. 1.

101. 4.

* ca. 28.

civ. med.

10. 3.

tertium verò cælum dicatur visio intellectualis, ut Augustinus exponit 12. super Genes. ad literam. Secundum modo potest dici tertium cælum secundum ordinem cognoscibilium: ut primum cælum dicatur cognitio cælestium corporum; secundum, cognitio cælestium spirituum; tertium, cognitio ipsius Dei. Tertio modo potest dici tertium cælum contemplatio Dei, secundum gradus cognitionis, qua Deus videtur quorum primus pertinet ad angelos infimæ hierarchie; secundus, ad angelos mediæ; tertius, ad angelos supremæ, ut dicit * Gloss. 2. ad Corinth. 12. Et quæ visio Dei non potest esse sine delectatione, proprie non solum se dicit raptum ad tertium cælum raptus contemplationis, sed etiam in paradysum raptus delectationis consequentis.

ARTIC. IV.

Virum Paulus in raptu fuerit alienatus à sensibus.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Paulus in raptu non fuerit alienatus à sensibus. In enim August. * 12. super Genes. ad literam, Cur non credamus, quod tanto Apostolo doctori gentium raptus usque ad istam excellentissimam visionem voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam viuendum est in æternum? Sed in illa vita statura sancti post resurrectionem videbunt Dei eternam, absque hoc quod fiat abstractio à sensibus corporeis.

potest. Ergo nec in Paulo fuit huiusmodi abstractio
hæc.

¶ 2 Præterea, Christus verè viator fuit, & conti-
nè visione diuinæ essentiæ fruëbatur: nec tamen fie-
bat abstractio à sensibus. Ergo nec fuit necessarium,
quòd in Paulo fieret abstractio à sensibus, ad hoc
quòd essentiam Dei videret.

¶ 3 Præterea, Paulus postquam Deum per essen-
tiam viderat, memor fuit illorum quæ in illa visione
conspexerat. Vnde dicebat 2. ad Corinth. 12. Audiui
arcana verba, quæ non licet homini loqui. Sed memo-
ria ad partem sensitivam pertinet, vt patet per Phi-
losoph. * in libro de memoria, & reminiscencia. Ergo
videtur quòd etiam Paulus videndo Dei essentiam,
non fuerit alienatus à sensibus.

c. 1. 10. 2.

SED contra est, quod Aug. * dicit 12. super Ge-
nes. ad literam, Nisi ab hac vita quisque quodammo-
do moriatur, siue omnino exiens de corpore, siue
aeris, & alienatus à carnalibus sensibus, in illam
non subuehitur visionem.

c. 27. f. 3.

RESPONDEO dicendum, quòd diuina essentia
non potest ab homine videri per aliam vim cogno-
scitivam, quàm per intellectum. Intellectus autem
humani non conuertitur ad intelligibilia, nisi me-
diante phantasmatis, quæ per species intelli-
gibiles à sensibus accipit, & in quibus considerans de
sensibilibus iudicat, & ea disponit. Et ideo in omni
operatione, qua intellectus noster abstrahitur à phan-
tasmatis, necesse est quòd abstrahatur à sensibus.

Intellectus autem hominis in statu viæ necesse est
quòd à phantasmatis abstrahatur, si videat Dei es-
sentiam. Non enim per aliquod phantasma potest
Dei essentia videri, quinimmo nec per aliquam spe-
ciem intelligibilem creatam: quia essentia Dei in in-
tuitum excedit non solum omnia corpora, quorum
sunt phantasmata, sed etiam omnem intelligibilem
creaturam. Oportet autem cum intellectus homi-
nis eleuetur ad altissimam Dei essentiæ visionem,
vt

vt

vt tota mentis intentio illuc aduocetur : ita scilicet quod nihil intelligat aliud ex phantasmatibus, sed totaliter feratur in Deum . Vnde impossibile est quod homo in statu viæ videat Deum per essentiam, sine abstractione à sensibus.

a. 3. arg. 2. et in sol. illius. Ad primum ergo dicendum, quod sicut dictum est, post resurrectionem in beatis Dei essentiam videntibus, fiet redundantia ab intellectu ad inferiores vires, & vsque ad corpus. Vnde secundum ipsam regulam diuinæ visionis, anima intendet phantasmatibus, & sensibilibus. Talis autem redundantia non fit in his qui capiuntur, sicut dictum est. Et idem non est similis ratio.

Ibid.

Ad secundum dicendum, quod intellectus ante Christi erat glorificatus per habituale lumen gloriæ, quo diuinam essentiam videbat, multo amplius quam aliquis angelus, vel homo. Erat autem viator propter corporis passibilitatem, secundum quam paulatim ab angelis minorabatur, vt dicitur ad Hebr. 2. de peccatiue, & non propter aliquem defectum ex parte intellectus. Vnde non est similis ratio de eo, & de alijs viatoribus.

Ad tertium dicendum, quod Paulus postquam scilicet vidit Dei essentiam, memor fuit illorum in illa visione cognouerit per aliquas species intelligibiles, habitualiter ex hoc in eius intellectu remanentes: sicut etiam abeunte sensibili remanent in impressiones in anima, quas postea conferens à phantasmatibus, memoratur. Vnde nec totam illam operationem aut cogitare poterat, aut verbis exprimere.

ARTIC. V.

838 *¶* An anima Pauli in statu illo fuerit totaliter à corpore separata?

Inf. a 6.

Et veri.

q. 13. a. 5.

1. cor. 12.

1. cor. 12.

1. cor. 12.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod anima Pauli in statu illo fuerit totaliter à corpore separata. Dicit enim Apostolus 2. ad Corint. 5. Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Sed Paulus

Ius in statu illo non peregrinabatur à Domino : quia videbat Deum per speciem, vt dictum * est. Ergo non erat in corpore.

ar. 3. huius q.

¶ 2. Præterea, Potentia animæ non potest eleuari supra eius essentiam, in qua radicitur. Sed intellectus, qui est potentia animæ, in raptu fuit à corporalibus abstractus per eleuationem ad diuinam contemplationem. Ergo multo magis essentia animæ fuit separata à corpore.

¶ 3. Præterea, Vires animæ vegetabilis sunt magis materiales, quàm vires anime sensitiue. Sed oportebat intellectum abstrahi à viribus animæ sensitiue, vt * dictum est, ad hoc vt rapiatur ad videndam diuinam essentiam. Ergo multo magis oportebat quòd abstraheretur à viribus animæ vegetabilis, quarum operatione cessante iam nullo modo anima remanet corpori coniuncta. Ergo videtur, quòd oportuit in rapto Pauli animam totaliter à corpore esse separatam.

ar. 4. huius q.

SED contra est, quod Aug. * dicit in epistola ad Paulinam, de videndo Deum, Non incredibile est sic quibusdam sanctis nondum vita defunctis, vt sepelientia cadauera remaneret, etiam istam excellentiam, reuelationis illis fuisse concessam, vt scilicet viderent Deum per essentiam. Non ergo fuit necessarium, vt in rapto Pauli anima eius totaliter separaretur à corpore.

Est epist. 112. c. 13. 10. 2.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra * dictum est, in raptu, de quo nunc loquimur, virtute diuina eleuatur homo ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam. Et ideo duo considerare oportet. Primò quidem, quid sit homini secundum naturam. Secundò quid diuina virtute sit in homine secundum supra naturam. Ex hoc autem, quòd anima corpori vnitur tamquam naturalis forma ipsius, conuenit animæ naturalis habitudo ad hoc quòd per conuersionem ad phantasmata intelligat. Quod quidem ab ea non aufertur diuina virtute in raptu,

ar. 1. huius q.

quia non mutatur status eius, vt * dictum est. Manent autem hoc statu, aufertur ab anima actualis conuersio.

ar. 3. arg. 2. et in eius sol.

ar 4. d. 11.
ins 7.

fio ad phantasmata & sensibilia, ne impediatur eius elevatio in id quod excedit omnia phantasmata, ut dictum * est: & idem in raptu non fuit necessarium, quod anima sic separaretur à corpore, ut ei non videretur quasi forma. Fuit autem necessarium intellectum eius abstrahi à phantasmatibus, & sensibilibus perceptione.

art. 3. ad
2. & 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Paulus in raptu illo peregrinabatur à Domino quantum ad statum, quia adhuc erat in statu viatoris: non autem quantum ad actum, quo videbat Deum per speciem, ut expressè dicitur * patet.

Ad secundum dicendum, quod potentia anime virtute naturali non elevatur supra modum convenientem essentiae eius. Virtute tamen divina potest in aliquid altius elevari: sicut corpus per violentiam superioris virtutis elevatur supra locum convenientem sibi secundum speciem suam naturam.

Ad tertium dicendum, quod vires anime vegetabilis non operantur ex intentione anime, sicut vegetabilis, sed per modum naturae. Et ideo non referuntur ad raptum, ab eis abstractio, sicut à potentia sensitiva, per quarum operationes minuetur intentio anime circa intellectualem cognitionem.

ARTIC. VI.

Virum Paulus ignoraverit an anima eius separata à corpore separata?

839
veri. 9. 13
a. 5. Et 2
Cor. 12.
leg. 1. fin.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod Paulus non ignoraverit an eius anima à corpore separata. Dicit enim ipse secundum I Corinthios duodecimo, Scio hominem in Christo raptum usque ad tertium caelum. Sed homo naturaliter compositum ex anima, & corpore: raptus ergo differt à morte. Videtur ergo quod ipse sciverit animam non fuisse per mortem à corpore separatam, praesertim quia hoc communiter à doctis ponitur.

¶ 2. Præter. Ex eisdem Apostoli verbis patet, quod ipse

ipse sciuit quo raptus fuerit, quia in tertium cœlum. Sed ex hoc sequitur, quod sciuerit vtrum fuerit in corpore vel non: quia si sciuit tertium cœlum esse aliquid corporeum, consequens est quod sciuerit animam non esse à corpore separatam: quia visio rei corporeæ non potest fieri nisi per corpus. Ergo videtur quod non omnino ignorauerit an anima fuerit à corpore separata.

¶ Præterea, Sicut Aug.* dicit 12. super Gen. ad litteram, ipse in raptu vidit illa visione Deum, qua videt sancti in patria. Sed sancti ex hoc ipso quod vident Deum, sciunt an animæ eorum sint à corporibus separatae. Ergo & Paulus hoc sciuit.

SED contra est, quod dicitur 2. ad Corint. 12. Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit.

RESPONDEO dicendum, quod huiusmodi questionis veritatem accipere oportet ex ipsis Apostoli verbis, quibus dicit se aliquid scire, scilicet se raptum esse usque ad tertium cœlum; & aliquid nescire, scilicet vtrum in corpore aut extra corpus. Quod quidem potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt hoc quod dicitur, siue in corpore, siue extra corpus, nõ referatur ad ipsum esse hominis rapti, quasi ignorauerit an anima eius esset in corpore an non: sed ad modum raptus, vt scilicet ignorauerit an corpus eius fuerit simul rapum cum anima in tertium cœlum, vel non, sed solum animam sicut Ezech. 8. dicitur, quod adductus est in visionibus Dei in Hierusalem. Et hunc intellectum fuisse causam Iudæi exprimit Hierony. in prologo super Daniellem, vbi dicit, Denique & Apostolum nostrum (scilicet dicebat Iudæus) non fuisse ausum affirmare in corpore raptum, sed dixisse, siue in corpore siue extra corpus, nescio. Sed hunc sensum reprobatur Aug. 12. super Gen. ad litteram, per hoc quod Apostolus dicit sciuisse se esse raptum usque in tertium cœlum. Sciat ergo verum esse tertium cœlum id in quod raptus fuit, & non similitudinem imaginariam tertij cœli. Alioquin si tertium cœlum nominauit phantasma, etc. Sec. Vol. iij.

1. 12. c. 28
10. 3.

a medio illius. Incipit: Danielis prophetam, 10. 4. 1. 12. c. 2. 3. 4. 28. 10. 3.

tertij cœli, pari ratione dicere potuit se in corpore raptum, nominans corpus, proprij corporis phantasma, quale apparet in somnis. Si autem sciebat esse verè tertium cœlum, sciebat ergo aut esse aliquid spirituale & incorporeum, & sic non poterat corpus illuc rapti: aut esse aliquid corporeum, & sic animam non posset illuc sine corpore rapti, nisi separatam a corpore. Et ideo oportet secundum alium sensum intelligere, ut scilicet Apostolus sciuerit, quod fuerat raptus secundum animam, & non secundum corpus: sciuerit tamen qualiter se haberet anima ad corpus, utrum scilicet fuerit sine corpore, vel non. Sed circa hoc diuersimodè aliqui loquuntur. Quidam enim dicunt, quod Apostolus sciuit, quod anima sua a corpore vnita ut forma, sed nesciuit utrum esset in se abstractio ab operibus animæ vegetabilis, vel quod fuerit facta abstractio à sensibus, hoc non potuit ignorare, ex quo sciuit se raptum. Quod autem fuerit abstractio ab operibus animæ vegetabilis, non est tantum aliquid, ut de hoc oporteret tam sollicitam fieri mentionem. Vnde relinquitur, quod nesciuit Apostolus, utrum anima eius fuerit eonijuncta corpori forma, vel à corpore separata per mortem. Quod autem hoc concedentes dicunt, quod Apostolus non perpendit quando rapiebatur, quia tota conscientia conuersa erat in Deum; sed postmodum perpendit, considerans ea quæ viderat. Sed hoc etiam tractatur verbis Apostoli, qui distinguit in verbis præteritum à futuro. Dicit enim in presenti quod fuit raptus ante annos quatuordecim, & in presenti nescire, utrum in corpore fuerit, vel extra corpus. Et ideo dicendum est, quod & prius dixerat nesciuit, utrum eius anima fuerit à corpore separata. Vnde Augustinus dicit 12. super Genesim post longam inquisitionem concludens, sed et ergo fortasse, ut hoc ipsum eum ignorasse intelligamus, ut quando in tertium cœlum raptus est, in corpore fuit.

1. 12. c. 5.
10. 3.

rit anima, quomodo est anima in corpore, cum corpus vivere dicitur, siue vigilantis, siue dormientis, siue in ecstasy à sensibus corporis alienati), an omnino de corpore exierit, vt mortuum corpus iaceret.

Ad primum ergo dicendum, quòd per synecdochen quandoque pars hominis homo nominatur, & præcipue anima quæ est pars hominis eminentior. Quamuis etiam possit intelligi, eum quem raptum dicit, non tunc fuisse hominem, quando raptus fuit, sed post annos quatuordecim. Vnde dicit, Scio hominem: non dicit, scio raptum hominem. Nihil etiã prohiberet mori diuinitus procuratam, raptum dici. Et sic Augu-
lib. 12. c. 3.
2 me. 1. 3

stin. * dicit 12. super Genes ad litteram, Dubitante inde Apostolo, quis nostrum inde certus esse potuit? Vnde qui super hoc loquuntur, magis coniecturaliter, quam per certitudinem loquuntur.

Ad secundum dicendum, quòd Apostolus sciuit vel illud cælum esse quid corporeum, vel aliquid incorporeum à se visum in illo cælo: cum hoc potuerit fieri per intellectum eius, etiam si anima eius non esset à corpore separata.

Ad tertium dicendum, quòd visio Pauli in raptu, quantum ad aliquid fuit similis visioni beatorum, scilicet quantum ad id quod videbatur; & quantum ad aliquid dissimilis, scilicet quantum ad modum videndi: quia non ita perfectè vidit sicut sancti qui sunt in patria. Vnde Augustinus * dicit duodecimo
lib. 12. c.
pe à med.
10. 3.
 super Genesim ad litteram, Quamuis abrepto Apostolo à carnis sensibus in tertium cælum, hoc defuit ad plenam perfectamque cognitionem rerum, quæ angelis inest, quòd siue in corpore esset, siue extra corpus esset, nesciebat: hoc utique non deerit, cum receptis corporibus in resurrectione mortuorum, corruptibile hoc induetur incorruptione.